

substituunt. Sunt alii, qui ficta mundi machina actiones hominum liberas, necessarias vel certas faciunt, docentes, omnia in mundo contingere, uti motus in horologio; ex quo necessario sequitur neminem esse, qui plus boni vel plus mali efficere possit in mundo, quam quod in machina mundi praestabilitum est; quae opinio non solum libertatem hominis destruit, sed & leges, promissiones & comminationes, praemia & poenas tam huius, quam futuri seculi reddit prorsus inutiles atque inanes. Sed fuerunt etiam fideles ecclesiae doctores, qui hoc fictum systema accuratius inspexerunt, eiusque errorem detexerunt. Surrexerunt alii, qui arrepto Christianismi pallio se contexerunt, & reuelatam religionem professi sunt; sed cum doctrinam suam explicare & sententias suas enarrare ceperunt, praecipuum eorum dogma fuit: doctrinas & leges morales, quae in scriptura sacra continentur, quaeque ex rationis principio deduci possent, esse veras; reliquas vero rationi incognitas esse superfluas, superstitiosas, & ex religione remouendas. Et hi sunt, qui negarunt, Deum tulisse leges positivas vniuersales, opus satisfactionis Christi esse necessarium, Trinitatis mysterium esse reuelatum, & alia plura. Vt vero speciem aliquam prae se ferant, dicunt, Deum immutabilem, legi naturae non posse aliam nouam reuelationem superaddere: neque eam esse necessariam, quia simplicissimi homines sua officia naturali lumine cognoscere possunt; & superfluum esse, ut in publico conuentu ab ordinario Ecclesiae ministro erudiantur. Aliae sunt quam plurimae opiniones ex ignorantia & caecitate infidelium promanantes, quas omnes re-

cense-